



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

296. An salte[m] irregularitas veræ bigamiæ, & interpretativæ sit dispensabilis à Prælati Regularibus cum suis subditis? Et an bigamia præfata possit despe[n]sari à quocu[m]que confessario ordinis ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)



dispensare, ita vt quicquid iure communi potest Episcopus super irregularitatem dispensatione, possit Sacerdos Regularis per istud privilegium. Ait enim Pontifex, se illis concedere facultatem dispensandi toties, quoties opus fuerit super quacumque irregularitate, Ordinario referuata. Cumque Episcopus possit relaxare irregularitates, quae ex quibusdam defectibus naturalibus, aut alias inculpatis, vt aliquando cum quibusdam illegitimis, quoad aliquos Ordines, aut quoad illorum vsum, iuxta illa quae tradit Emanuel Sa; ita cum illis poterit Regularis Confessor similiter dispensare, dummodo super his sententia non fuerit lata; quia tunc requiritur dispensatio solemnis, quae Regulari Confessorio non conceditur.

3. Sequitur Secundò, quod Regularis poterit dispensare in illis irregularitatibus quae ex proprio peccato oriuntur, in quibus potest Episcopus dispensare (verbi gratia) cum illo, qui aliqua censura irregulari ex eo quod membrum mutilauerit; cum iuxta citatos Emanuele Sa, Rodericum & Suarez (qui ad hoc affert declarationem Cardinalium) illam facultatem habeat Episcopus, sicut etiam super irregularitate ex homicidio casuali contracta, quia Episcopus potest in illa dispensare, vt tenent Nauar. cap. 27. num. 193. Henric. cap. 19. num. 7. Auila de Conf. part. 7. disp. 6. sect. 5. dub. 2. concl. 2. Diana part. 4. tract. 2. de Irregularitat. resol. 7. 2. Ac denique potest dispensare in illa irregularitate homicidij casualis, etiam publica, ad Minores Ordines, & Beneficium simplex suscipiendum; quia id potest Episcopus, vt tenent Henriquez citatus num. 2. cit. 1. in cap. 57. de Excommunic. num. 1. & citatus Auila concl. 3.

4. Sequitur Tertid, extendi hanc facultatem ad irregularitates, quae non erant Ordinario concessae in tempore illius Privilegij Sixti V. nam illa particula irregularitas referuata, se extendit etiam ad eas, quae postea Episcopo referuatae sunt, seu referuantur, iuxta ea quae tradita sunt de absolutione a censuris referuatis.

5. Verum non leuis difficultas est si Confessarius regularis potest dispensare super irregularitate homicidij voluntarij omnino occulti: vt autem solvatur, notandum est duobus modis homicidium dici occultum, vno modo, quod ita occultum est, vt à nemine possit in notitiam hominum adduci, nisi à solo occidere. Secundò modo, quod potest per alium aut alios ad notitiam hominum venire: Hoc posito, quidam respondent per tale homicidium omnino occultum non iudici irregularitatem Hæc sententia est multum probabilis, quam videt apud Mirandam de Ministris Gener. iurisdict. quest. 8. art. 10. & ideo occultorem non indigere dispensatione, Sed quia contraria est probabilior, & communior, ideo respondetur iuxta eam posse Confessarium antedictum dispensare super dicta irregularitate primo modo occulta; quoniam Episcopus potest super illa dispensare, vt tenent Couarruias, Abbas, Castrensis, & Angelus à citato Miranda allegati, & Bañes 2. 2. quest. 40. art. 2. dub. 4. Vivaldus & alij, sed Confessarius Regularis eadem quoad hoc facultate pollet ac Episcopus, ergo id similiter potest.

6. Nec obuias, Tridentinum vetare, & prohibere Episcopo dispensare super irregularitate homicidij voluntarij occulti; nam respondebitur Concilium loqui de homicidio non omnino occulto; sed tantum de illo quod ad iudicium, & notitiam hominum deduci potest, & probari, vt optimè respondit Tam. VII.

det in eadem materia citatus Miranda: nec refert quod illud homicidium voluntarium sit iustum vel iniustum, quia in vtroque est par ratio. Hucusque Bruno.

7. Et in fauorem eius sententiae ego alibi plures alios adduxi, quos tamen improbaui, & nunc Brunum improbo, nec eius sententiam audeo Regularibus consilere neque Episcopis quoad irregularitatem homicidij occulti, & modo vt supra explicatum est.

Alibi in Resolutionibus præteritarum annotationum huius Ref. & in alijs.

RESOL. CCXCVI.

An saltem irregularitas vera bigamia, & interpretatiua sit dispensabilis à Prælati Regularibus cum suis subditis?

Et an bigamia præfata possit dispensari à quocumque Confessorio Ordinis ex privilegio Sixti V.

Et an saltem Generales Religionum possint dispensare cum suis subditis in bigamia ex concessione Sixti IV. facta Carthusiensibus?

Et an Prælati Regulares per quandam concessionem Pauli III. possint semel singulis annis prima die Luna Quadragesima dispensare cum suis subditis in omni irregularitate, quavis occasione, vel causa contracta; vbi nihil excipit, neque bigamiam, neque homicidium voluntarium, &c. de qua in Bullario?

Et notatur posse prædictos Prælatos dispensare cum suis subditis super bigamiam similitudinariam eo modo, quo possunt Episcopi cum suis subditis. Ex p. 4. tr. 2. Ref. 63.

§. 1. Negatiuè respondet Rodriguez & alij, quos citat & sequitur Barbosa de potest. Episc. part. 2. allegat. 49. num. Bartholomæus de Vecchis in praxi nouit. disp. 9. dub. 15. numer. 2. Tamburinus de iure Abbat. tom. 2. disp. 17. quest. 3. numer. 2. Ratio est, quia in privilegijs semper censetur excepta bigamia, nec inuenitur privilegium, quod hoc concedat Prælati Regularium, ergo, &c.

2. Verùm his non obstantibus Auila de cens. part. 7. disp. 8. dub. 4. conclus. 8. & Henriquez libro secundo de matrimon. cap. 6. num. 11. in glossa lit. V. docent Religiosos dispensare posse in bigamia præfata non solum à Superioribus, sed etiam à quocumque Confessorio Ordinis, & hoc ex privilegio Sixti V. Vide etiam Petrum Cornejo in 3. part. D. Thom. tractat. 5. de irregul. disp. 10. dub. 1. in fine.

3. Sed hoc privilegium non esse ita clarum, tenet Tamburinus vbi supra, & alij, vnde adducam aliud ex Hieronymo Rodriguez in compend. regul. resolut. 16. num. 14. vbi sic ait. Nota cum Portel. in addit. ad dub. regul. ver. dispensare, num. 5. quod Prælati Regulares per quandam concessionem Pauli III. de qua in Bullario, possunt semel singulis annis prima die Luna Quadragesima dispensare cum suis subditis in omni irregularitate, quavis occasione, vel causa contracta, vbi nil excipit, neque bigamiam, neque homicidium voluntarium, quæ solent excipi privilegijs, vnde cum nec lex, nec Princeps distinguat, nec nos distinguere debemus, quæ sententia tamquam pia & probabilis potest in praxi sequi, licet opposita sit tutior, & conformior menti Pontificum, qui semper bigamiam excipiunt iuxta stylum Curiae. Ita Rodriguez vbi supra, & ita hanc sententiam tenet etiam nouissimè Petrus de relig. Prælat. tom. 2. quest. 2. cap. 5. §. 3. num. 99. Non reticeam etiam hic adnotare quoddam, vt notat Portel in dub. regul. ver. dispensare, num. 4. in compend. Societ.

Sup. hoc supra in Ref. 292. §. Notandum est, & in alijs eius not.

Sup. hoc supra in Ref. 292. §. Notandum est, & in alijs eius not.



Es v. ver. dispensare, §. 5. & 6. dicitur quod Generalis ipsorum potest dispensare cum subditis in bigamia ex concessione Sixti IV. facta Carthusiensibus.

4. Sed ego in facti contingencia non recederem à prima sententia, quam præter DD. citatos tenet etiam Sebastianus à Bononia *tractat. de elect. part. 2. capit. 4. dubit. 7. numer. 2.* vbi & rectè notat posse supradictos Prælatos dispensare cum suis subditis super bigamiam similitudinariam, eo modo, quo possunt Episcopi dispensare cum suis.

Sup. hoc n. c. tato, & quomodo hoc delictum accidit, in rom. 5. tr. 5. ex Ref. 148. lege lin. 3. §. 2. & pro dispensat. Episc. in alio §. not. i. dictæ Ref.

### RESOL. CCXCVII.

*An Prælati Regulares possint absolvere subditos suos suspensos propter Ordines susceptos ante legitimam ætatem, vel absque licentia, vel per saltum?* Ex p. 3. tr. 2. Ref. 85.

Sup. hoc in tom. 5. tr. 3. Ref. 44. §. 11.

§. 1. Negatiuè respondet Gabucinus, quem citat, & sequitur Sayrus de *ensuris. lib. 6. cap. 12. num. 13.* & 14. vbi asserit, priuilegiis Regularium circa hoc esse derogatum per Concil. Trident. *sess. 23. cap. 12. de reform.*

2. Sed prorsus contrariam sententiam tenendam esse puto, quam latè defendit Laurentius Portel in *dub. Regul. ver. Ordines sacri, n. 14.* & nouissimè Hieronymus Rodriq. in *compend. 99. Regul. resol. 106. n. 26.* & ad argumentum Sayri respondet Portel, quod Concilium ibi solùm reuocat priuilegia, ne ordinentur Regulares ante ætatem ibi assignatam, non verò reuocat priuilegia Regularium quæ aliàs habent absoluedi à Sede Apostolica suos subditos. Imò Concilium clarè loquitur: ait enim (priuilegiis quoad hoc exclusis) quoad hoc inquam, id est, quoad Ordines suscipiendos ante hanc ætatem, vnde non loquitur de priuilegiis Regularium ad absoluedos subditos.

3. Neque obstat, quod Sixtus V. in sua constitutione contra malè promotos, reuocauit priuilegia Regularium ad absoluedum subditos sic malè promotos, quia postea reualidata sunt per alios Pontifices sublequentes, qui confirmarunt priuilegia Regularium ex certa scientia, quæ forma confirmationis reualidat inualida, & reuocata per suos antecessores, vt communiter docent Doctores, & præcipuè inter illos Sigismundus à Bononia *tr. de elect. part. 2. c. 4. dub. 76. n. 6.* & Suarez de *legib. lib. 8. c. 19.*

### RESOL. CCXCVIII.

*An Superiores Regularium possint absolvere subditos ab excommunicatione ob Symoniam contractam in Ordine, vel beneficio?*

*Nec enim possunt cum illis dispensare in suspensione, qua incurritur ratione Symoniæ in Ordine suscepto; imò nec dispensare possunt in irregularitate ob talem Symoniam contractam, etiam si Symoniacus sit occultus?*

*Et an sit probabile Symoniacum occultum non incurrere irregularitatem?*

*Et an priuati Regulares possint hodie absolvere clericum symoniacum in ordine, vel beneficio ad se venientem pro sacramentali confessione audienda?*

*Et an id possint Confessores Societatis Iesu per priuilegium concessum à Paulo III. per quod à papa concedit illis Patribus, (ac proinde cum illis communicantibus,) vt penitentes ad se venientes possint absolvere ab omnibus censuris, & penis Ecclesiasticis, exceptis contentis in Bulla Cæna? Ex p. 1. o. tr. 15. & Milic. 5. Ref. 3.*

§. 1. Negatiuam sententiam mordicus sustinet Magister Texeda in *Theolog. Moral. tom. 1.*

*lib. 2. tract. 1. contr. 18. num. 10.* vbi sic ait, Si rogati regulares Prælati possint absolvere suos subditos ab excommunicatione incurfa ob ordinem simoniacum susceptum; & dico hodie non posse cum illis dispensare in suspensione, quæ incurritur ratione simoniæ in ordine suscepto, quia licet attento quodam priuilegio à Clemente IV. concessio Congregationi S. Benedicti in Hispania, vt refert Collector priuilegiiorum ordinum: & Abbatibus Cisterij, virtute cuius poterant Abbates, & eorum Vicarij absoluerent suos subditos à penis, quas incurrit subditi propter ordines simoniacè susceptos, & propter beneficia simoniacè obtenta, & hoc quidem non semel in vita, sed toties quoties illis visum fuerit expedire, Tamen Sixtus V. in quadam constitutione, quam edidit contra Clericos malè promotos, eam facultatem penitus reuocauit, & abstulit, dicens quod nemo præterquam cumque priuilegiij etiam mare magnum nuncupari, &c. possit absolueret huiusmodi simoniacè promotos, & verba eius sunt, persona sicut præfatur delinquentes tam scilicet Antistes, quam Abbates promouentes, quam clerici malè insigniti, seu ordinati à reatibus & excessibus præfatis absolui præterquam in mortis articulo non possint aut debeant, nec quibus super irregularitate præmissa contracta, etiam si crimen penitus occultum fuerit quouis modo valeat dispensare. Ex qua Sixti V. constitutione non obiciatur constar omnibus tam Episcopis, quam Regularibus Prælati, ablatam esse facultatem absoluedi suos subditos ab excommunicatione, & aliis penis incurfis, eo quod simoniacè ordines susceperunt, vel beneficia obtinuerunt etiam præterquam priuilegiiorum regularium, quia omnia illa quoad hanc partem derogat, & inualida esse ex nunc pro tunc declarat, ac proinde etiam abstulit facultatem dispensandi cum prædictis simoniaciis in irregularitate, ob illud crimen simoniacum incurfa, quam etiam Sixti V. constitutionem ad terminos sacrorum Canonum, ac constitutionem Pij II. Sixti V. prædictoris, & ad dispositionem decretorum Sacri Tridentini Concilij adiecit hæc verba, præterquam contra simoniacè ordinantes, & ordinatos inlicitas, has enim voluit in suo robore permanere. Et quibus Pontificis verbis, quamuis prædictam Sixti V. constitutionem videtur moderare, & restringere, quantum ad aliquid; absoluit tamen reliquum illam in suo robore quantum ad aufereudam potestatem à Religionum Prælati, vt possint absolueret suos subditos, qui simoniacè ad ordines promoti sunt, nec in irregularitate ob talem simoniam contractam dispensare, & idè si Religiosus simoniacè ordinatus est, aut simoniacè Prioratum aut quancumque aliam dignitatem in Religione obtinuit (nam nomine beneficii officium dignitatis in Religione intelligitur) est ipso facto excommunicatus, & est ipso iure illis priuatus. A qua excommunicatione absolui nequit per Regulares Prælatos, nec in suspensione incurfa dispensari nisi per Romanum Pontificem, cui talis absolutio, & dispensatio referuata sunt, quod debet intelligi etiam si simoniacus occultus. Hucusque Texeda.

2. Sed contrariam sententiam tenet Portel in *17. Spons. Moral. tom. 2. cas. 42. num. 1.* vbi sic asserit. Credo posse hodie Prælatum Regularem absolueret suum subditum à simonia commissa in ordine vel beneficio. Probo, quia licet Sixtus V. reuocauerit omnia priuilegia Religiosorum, per que id poterant absolueret, tamen postea Clemens VIII. in bullario Rodriguez *fol. 1201.* confirmauit priuilegia Minorum ex certa scientia, quod idem fecit postea Paulus Quintus; & Clemens VIII. in prædicta Bulla confirmatoria addidit hoc verbum, confirmamus, & in-